

**Dissertatio medica inauguralis de rabie canina ... / eruditorum examini
subjicit Thomas Henricus Pemberton, (quondam Pearson).**

Contributors

Pemberton, Thomas Henry.
Beattie, William, 1783-1875
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Dun. Stevenson et Socii, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sjzyjuy7>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
RABIE CANINA;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS HENRICUS PEMBERTON,

(QUONDAM PEARSON,)

Anglo-Britannus,

SOCIETAT. REG. PHYS. EDIN.

SOC. EXTR.

“ Morsu virus habent, et fatum dente minantur.”

LUCAN. PHARSAL.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXIX.

THEOLOGICAL LIBRARY OF
WILLIAMSBURG COLLEGE, WILLIAMSBURG, VA.
1522482834
1920

Thom Peattie

DISSERTATIO MEDICA

IN AUREA

RABIE CANINA

AVCTORE

D. GEORGE BAIRD, S.S.P.

PRO GRADU DOCTORIS

THOMAS HENRICUS PEMBERTON

MEMORIAL DESIDERATUM
PATRI SUO OPTIMO, THOMAE PEMBERTON
SACERDOTIS
ECCLESIAE ANGLICAE PASTORIS
RECTORIS PAROCHIAE S. TRINITATIS
IN
PROVINCIA DORSETIA
COL. S. TRINIT. CANTONIAE
HAS STUDIORUM
AMORIS PIETATIS
MORUM PERFECTIONIS
CONSECRAVIT
THOMAS HENRICUS PEMBERTON

EDINBURGI

MDCCCXXXIII

William Beattie. Edinburgh

MEMORIAE DESIDERATAE

PATRIS SUI OPTIMI, DILECTISSIMI,

THOMAE PEMBERTON, A. M.

NUPER

ECCLESIAE ANGLICAE PASTORIS REVERENDI,

RECTORIS PARAECHIARUM TAUGHBOYNE ET ALL SAINTS,

IN

PROVINCIA DONEGAL,

QUONDAM

COL. SANCT. TRINIT. CANTABRIGIAE SOCH,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS PIETATISQUE

MONUMENTUM PEREXIGUUM,

CONSECRAT DEDICATQUE

AMANTISSIMUS, ATQUE GRAVISSIME MOERENS FILIUS,

THOMAS HENRICUS PEMBERTON.

MEMORIAL DEDICATED
TO THE
HONORABLE ROBERTO PEMBERTON

M. D. 1882
THOMAS PEMBERTON, A. M.

PROVINCIA DONOZA
IN
CANTON DE SAN CARLOS

HAS ESTUDIADO EN
EL INSTITUTO DE ESTUDIOS

THOMAS HENRIQUEZ PEMBERTON

NECNON

AVUNCULO SUO,

CHRISTOPHORO ROBERTO PEMBERTON,

M. D. S. R. S.

COLLEGII REGII MEDICORUM SOCIO,

PRINCIPIS BRITANNIAE SERENISSIMI MED. EXTRAORD.

REGII CUMBRIAE DUCIS MEDICO,

NUPERQUE

NOSOCOMIO SANCTI GEORGII MEDICO, &c. &c.

VIRO

IN QUO SPLENDET OMNE EGREGIUM

ANIMI INGENUI ET ORNATISSIMI,

RERUM APPOLLINARIUM MAXIME PERITO,

DISCIPLINIS LITERARUM PENITUS IMBUTO,

NEMINI NON OBSERVATO;

HOC TENTAMEN SINCERUM,

QUAMVIS PERTENUE ET INDIGNUM

AMICITIAE ET REVERENTIAE SUMMAE

TESTIMONIUM,

ANIMO HUMILLIMO,

CONSECRAT

FRATRIS FILIUS.

LEONOR

AVANGULO 800

CHRISTOPHORO ROBERTO FEMBERTON

M. D. S. R. S.

COLLEGIUM REGIUM MEDICORUM SOCIUM

UNIVERSITATIS BRITANNICAE BERNARDINI MED. BATHON.

REGIUM LUMINARIA DUCIS MEDIC.

PHYSICUS

HOSPITALIO SANCTI GEORGI MEDICUS 20 AN.

PHD.

IN QVO SPLENDIT OMNE SCIENTIAM

ANIMI INGENIUM ET ORNATISSIMUM

VERUM ABOLITIONARIUM MAXIME PERITO

DISCIPLINIS LITTERARUM PERITUS IMPERTO

VERUMI NON OPERATOR

HOIC TENTAMEN SINCERUM

QUAMVIS PERITUS ET INDIUM

ANGUSTIAE ET INFERENTIAE SUMMAE

TESTIMONIUM

ANIMO HUMILISSIMO

CONSECUT

FRATRI FILIUS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RABIE CANINA.

PROÖEMIUM.

HUNC horrendum et maximè calamitosum morbum pro argumento selegi, non quia in mea potestate credo ullam contemplationem novam adducere, de veneni actione specialis, quod ortum praebet, vel ullum recens remedium divulgare, a quo nobis ipsis suaderemus quâlibet spe successûs fines devastationibus opponere; sed probè persuasi, libellos hujusmodi, utcunque in se despicabiles, et utcunque obscurus inter homines doctos auctor stet, illos animis potentioribus et iudicio magis limato, saepè ad investigationem excitare.

citare. Ita sperandum, ut mei conatus humiles, in parvulum contrahendo quod de hoc acerbissimo morborum jamdudum est notum, et demonstrando quantum verae scientiae de ejus curatione possidemus, hunc desideratum eventum consequantur.

A Culleno, in Nosologia suâ, morbus ita definitur:—

“ Potionis cujuslibet, utpote convulsionem pharyngis dolentem cientis, fastidium et horror; plerumque e morsu animalis rabidi.

“ Species sunt,—

“ I. Hydrophobia (rabiosa), cum mordendi cupiditate, ex morsu animalis rabidi.

“ II. Hydrophobia (simplex), sine rabie, vel mordendi cupiditate.”

Initio morbi adsunt anxietas ingens, et frequens suspiratio, dolor acutus in regione epigastrica, liquidis omnibus difficultate et cruciatu haustis, cum ariditate linguae et faucium, pulsu debili, et levi pyrexiâ; progressu et fine, perpetua vigilantia, respiratio ardua, lucis et agitationis intolerantia, salivae viscidae ab ore ejectio, et saepissimè convulsiones validae.

Hydrophobia

Hydrophobia in corpore humano ortum habet, absorptione in systema veneni particulae de morsu animalis rabidi, vel de morsu unius, quod, tempore quo vulnus infligat, summam iram induitur. Medicis tamen convenit, ut symptomata assimilia, vel omninò eadem illis verae rabiei caninae, in humano habitu sese ostendant, ab origine prorsus diversâ causam recipientia. Ita irritatio ad ullam partem peculiarem spectans, in temperamentis eam facilè suscipientibus, vehementes animi impetus, &c. memorata sunt, paria Hydrophobiae symptomata exactè generâsse; ut etiam ingentes a calore ad frigus mutationes, quae magnam debilitatem procreant, et eodem tempore systematis irritabilitatem augment.

Aquae timorem, (symptoma ad hunc morbum eximiè spectans, et a quo nomen sibi ipsi accipit), fertur, nonnullis febribus, ortum ab inflammatione topicâ thoracis vel partium contiguarum habentibus, interdum adesse. Hydrophobiae species inflammatione ventriculi provenire observata est, nec non morsu illorum sub epilepsiae impetu, vel hominum in vehimenti irae accessu; et epilepsiae accessione. Gradus minor dicitur in quibusdam hystericis affectionibus occurrere, in quibus aegrotæ

grotae deglutitionis difficultate timidae liquidos recipiendi fiunt.

Multis ortae sunt dubitationes, an rabies in animalibus contagione non antecedente gigneretur. Dominus Rossi, veruntamen, aliqua exempla narrat, quae planè demonstrant, animalia, priusquam sana, in furorem acta et vehementi irâ incensa, morbum morsu potuisse communicare. De hoc exemplum insigne audivi hieme proximâ a postremâ elapsâ, in ejus amphitheatro a Joanne G. Boyton, Regio Professore Institutorum Medicinae Dublinii Universitate, memoratum, aliquis fele lacerati, atque hydrophobiâ sub hoc doctissimo homine morientis, etiamsi nunquam, ut apparuit, rabiosum fuit animal, sed irâ tantum concitatum; duodecim quidem posthaec menses, et ni fallor adhuc superstes. Hoc exemplum a se planè demonstrat, animal, post longam vexationem, vel vehementis irae impetu, habile esse ad *morbi* generationem, si non genuinae Hydrophobiae ipsius, unius exactè similis omni ferè appellationis significatione. Nec hoc modo pestis specie ferinâ solum oritur: Scriptoribus medicinae testimonium fertur, cibum maximè putridum, aquae defectum per exercitationem violentam

tam et duram in ardente aridaque coeli temperie, cum aëris certa conditione, ei simile, quae inter animalia morbos alios contagiosos profert, aliquandò inter gentes caninas et felinas rabiei originem genuisse. De hac re menti meae ferè penitùs congruens videtur, hydrophobiam in quibusdam quadrupedibus *ultro* posse generari, praesertim in iis, quae carnibus summâ corruptione vescuntur, aliis (ut suprâ enumeratis), tempore eodem concurrentibus. Rabies minùs frequens existere in calidis regionibus, quam in temperatis videtur. Dr. Thomas dicit, unicum casum per habitationem multorum annorum in occidente nunquam vidisse. Nobis fertur aliis scriptoribus, esse prorsus ignotam in America Australi, Aegypto, et Syria, et etiam Promontorio Bonae Spei, quamvis hoc posteriore loco, canes escâ valdè putridâ vescuntur. Morbus plerumque speciali veneno nascitur, qui, causis ignotis semel creatus, canum inter se consuetudine accumulatur.

Nonnulli affirmant, impossibile esse ab uno homine rabioso ad alium, emplastratione vel ullo quolibet modo, pestem transferre; sed fateor nequaquam mihi placitum fore me ipsum experi-
mento

mento subjicere. Domini Magendie et Breslet canem rabie vitiabant, salivâ, quae homini sub morbo ablata erat. Et cur non idem in humanâ aequè ac ferinâ specie accideret? Palmarius quoquè mentionem facit de rustico, qui sub rabie laborans, et sciens impossibile eum multò diutiùs victurum, adstantes oravit, qui eum catenis vinxerant, ut liberos oscularet. Sinebant; et paulò post parens miser decessit. Omnes liberi septem diebus eodem morbo correpti, iisdemque cruciatibus torti, brevi miserrimam vitam cum morte commutârunt. Quatenus ullâ secretionem aliâ vel excretionem praeter salivam morbus creari potest, adhuc non satis statutum. Dicitur, ut Dominus Jacobus Gillman multum fecerit experimentis probare, contagium nullâ aliâ secretionem praeter salivam adesse: dissertationem hujus non legi, sed opinor consuetudinem vetustam absurdam canis hepar edendi, potens argumentum esse, ut venenum nullum hoc organo existat. Multos enim, postquam cane rabioso morsi sint, ejus hepar impunè edisse non potest negari; imò, secundum aliquos ita faciendo sese certâ morte eripuerunt. Sed hic peteremus quaerere, illine homines certè affecti? Ullumne symptoma ad morbum appetens

tens in iis sese manifestaverat? Multi, scimus, morsi sint, et tamen morbus in iis nunquam apparuit. Joannes Hunter exemplum narrat, in quo viginti et unus morsi sunt eodem cane rabioso, et tamen unus solum e viginti et uno rabie affectus fuit. Contrà, si litigetur, alias secretiones aequè ac salivam esse contagiosas, quomodo hujus remedii modum operandi interpretemur? Si morsus profectò non habet morbum, sed canis hepar edit timore tantum ne haberet, nonnè haec efficacissima et certissima via illud efficiendi, quod extinguere cupit? Iterum, si pestis rudimenta jamdudum corpore latent, nonne hepar edendo fomitem igni adderet, malumque pejus faceret?

Specie caninâ, sexto ad diem decimum tempus brevissimum existimatur, in quo Hydrophobia post injuriae receptionem sese ostendit, et sextâ ad septimam vel hebdomadam octavam, longissimum: In corpore humano, interdum pauci dies tantum revoluti sunt; saepius tamen a tricesimo ad diem quadragesimum morbus accidit. Interdum post menses nullo in modo apparuit; nonnulli dicunt post annos: de hoc tamen multum dubii inter medicos concipitur. Ego ipse exemplum novi, quo homo cane morsus erat, et duodecimum

decimum mensem post injuriae receptionem solitae salutis fructu penè complevit, priusquam ulla symptomata rabiei apparuerunt. Morbus ei violentissimus supervenit, et, ut persaepe accidit, lethalis fuit. Inter medicos, credo, conveniat, aliquem, post duodecim menses vel paululum diutiùs [si per id tempus nulla inauspicata symptomata, vel sensus insueti observati sint] cui infortunium fuit cane rabioso vel alio animali irato morsum esse, extra periculum sese habere. Illa exempla protracta, scriptoribus notata, debent propriùs *Hydrophobia spontanea* haberi, vel debent in viris tetano affinia, in faeminis tetano et nonnullis hystericis affectionibus, existimari. Omnibus convenit, similitudinem inter aliquas hysteriae species et rabiem benè distinctam.

Symptomata cani propria rabie affecto haec sunt: fit languidus et tristis, suam speciem fugere conans, iisque pariter evitatus, rarissimè latrans, sed saepe sonum cum murmuratione horridumque ululatum ejaculans, omnem cibum et potum aspernans. Hoc morbi gradu dominum reminiscitur ei obediens, caeteris tamen perfidiosus, quemvis adhuc permittens ut blandiatur, sed repente rictu petens, et levissimâ provocatione mordens.

mordens. Caput et cauda dependent, ambulat-
que quasi sopore oppressus. Tandem palpitatione
corripitur; celeriter et graviter respirat; lingua
detruditur, os perpetuè dehiscit, plurimumque
spumae ab eo defluit. Aquam non vel minimè
timet, sed quodocunquè obvenit, avidè eam lam-
bit. Aliquandò tardè graditur quasi semisomnis,
tunc repentè currit, sed rectâ viâ non semper
pergens. Tandem dominum obliviscitur; oculi
apparent obtusi, aquosi, atroces, et purulenta
detractio palpebris emanat: incipit languescere,
saepè relabitur, iterum resurgit, et omnia in viâ
mordere conatur, omninò furibundus extemplò
factus. Huic gradui non diù supervivit, sed citò
a passionibus morte est solutus. Fertur, morsum
hâc posteriore conditione maximè periculosum
esse, et quantò viciniorem esophago, tantò for-
midiosiore existere. Verisimile est, morbum
cursu consueto interdum decedere. Joannes
Hunter hoc exemplum narrat:—“ One dog, out
of twelve or fifteen that were bitten (and all died),
had no marks of wildness or fury about him,
never offered violence to any thing near him, and
expressed pleasure at the sight of his master, by

B

shaking

shaking his tail, a little before he died." * *Animalia omnia domestica morbum impertiri possunt, (talis saltem est sententia quorundam, alii negant), ut etiam vulpes aliaeque ferae. Canes multò facilius humano genere contagiem recipiunt. Sic scribit auctor nuper citatus :—“ Four men and twelve dogs were bitten by the same mad dog ; every one of the dogs died of the disease, while all the four men escaped, though they used no other means of prevention than such as we see every day fail.†*

Olim putatum fuit, *ligamentum tendinosum*, (nomen hoc ei dedit Morgagni) sub linguâ canis extrahendo, eos morbo inhabiles per reliquam vitam redditum iri. De hoc ita ait Plinius :—*“ Est vermiculus in lingua canum, qui vocatus a Graecis *lyra*, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt.”‡—* Haec operatio non tantum crudelis, sed etiam efficiendi, quod proponit, omninò impotens invenitur.

Corpore

* Transactions of a Society for the Improvement of Medical and Chirurgical Knowledge.

† Ibid.

‡ Plin. Nat. Hist. l. xxix, c. 5

Corpore humano, symptomata usitata haec sunt. Tempore indefinito, et aliquando post vulnus diu sanatum, in parte morsa levis dolor sentitur, et interdum prurigine comitatus: tunc superveniunt dolores pervagi, cum tristitia et anxietate, quiete perturbatâ et horrificis somniis, aegroto saepè e somno exiliente, et, ut “ canes vel feles eum mordeant,” exclamante. Symptomatibus his quotidie crescentibus, dolores a parte vulnerata ad gulam extendere incipiunt, cum angustia et suffocationis sensu, unâ cum horrore et formidine aquae aliorumque liquidorum, tremoribus crebris quoque existentibus. Solidum in ventriculum sine multo dolore demittere potest, sed momento quo nullum liquidum labia tangit, maximo horrore resilit, et eodem tempore violentis convulsionibus torquetur. Probare quatenus *hoc effectum* a visu fluidi penderet, et quatenus ejus contactu cum faucibus, vas inane, epistomium habens, aegroto dedi, et tunc eum jussi per syphonem bibere conari: assensit, primo autem vas inspexit, videre si aliquid continuerit. Animo quod ad hoc contento, syphonem in os saepè imposuit, et ut biberet operam dedit. Nulla

la vix actio spasmodica conatum sequebatur, sed certè erat vultûs distortio, creata probabiliter salivae portione musculos deglutitionis appropinquante, cum caput rejectum fuit, bibere conando. Postquam animum hoc modo nonnihil detinisset, attentio ejus ad aliud repentè vocabatur; et secundum vas, ad unguem primo simile (paullulum fluidi continens), in manum celeriter trudebatur, aegro mutationem quae facta erat non observante; tunc occupationem priorem resumere jussus est. Ita fecit: simul ac fluidum fauces contigit, statim musculorum actio spasmodica, violentis convulsionibus excepta, successit. Multum quoque aquae conspectu et aquae sonitu agitabatur.

Morbo progrediente, vomitus materiae biliosae et pyrexia acutissima superveniunt, cum vigilantia perpetua, magna site, ariditate et asperitate oris, vocis raucitate, et ejectione viscidae salivae, quam aeger semper expuit, una cum organorum genitalium et uriniferorum spasmis. Ferè lucem et multam aëris agitationem tolerandi est incapax; respiratio difficilis; sed judicium ad extremum parum diminutum manet. Aliquando delirium supervenit, sed saepius accidit ut pulsus tremulus

fiat et abnormis, convulsiones sequantur, et natura resistendi diutius impotens, potiori adversario victoriam tradat.

Unum est quod scriptoribus non invenio memoratum: si, cum aegrotum *primum* vises, eum interrogaveris, "Unquamne cane morsus es?" statim resiliet, vultum dementem tempore eodem gerens, (i. e. si quaestio antequam non ei proposita fuerit; rogatio enim secunda paulum vel nihil eum afficit).

Diagnosis.—Hic morbus cum tetano potius quam ullo alio confundi potest; sed in tetano muscoli non solum gutturis, verum etiam caeterarum partium, vehementer afficiuntur; nullus est metus aquae, sed devorandi, quia deglutitio et motus musculorum spasmos intendunt; et dolor excrucians in epigastrio: in Hydrophobia spasmi magis ad guttur sunt referrendi, et aegroti summus horror aquae est.

Prognosis hoc morbo semper est inauspicata, praesertim in illis, quibus fluidorum timor jamdudum sese manifestavit, singulis remediis adhuc tentatis, in omnibus hujusmodi exemplis, omnino destitutis successu inventis. Miseriis infelix

tertio

tertio vel quarto die a primo symptomatum impetu ferè liberatur.

Sectio Cadaveris.—Humano corpore post mortem inciso, ariditas insolita viscerum et aliarum partium, praecipuè regione faucium, in conspectum venit; inflammationis signa esophagi imo, in cardia, et aliquando in ventriculo ipso. Inflammationis signa cerebro quoque inventa sunt, effusione serosâ in superficiem, et piaë matris rubore; aliquando inflammationis signa, vel sanguinis effusio pulmonibus adsunt. Nonnullis, qui hoc morbo mortui sunt, non ullae species morbosae, vel faucibus, ventriculo, vel intestinis observatae sunt. Venenum itaque, a quibusdam medicis, per nervos solos agere existimatur. Ita notat Doctor Thomas:—“As far as my knowledge extends, the lymphatic glands, in the course of absorption, have never been found diseased. On the developement of the symptoms of Hydrophobia, the pain beginning in the bitten part *appears indeed to follow rather the course of the nerves than that of the absorbents.*” * Dr. Marcet similem

opinionem

* Modern Practice of Physic, p. 379.

opinionem Medico-Chirurgicis Transactionibus tradit.

Si hanc doctrinam admittamus, quomodo possibile est animis satisfacere, de longo intervallo quod aliquando intervenit inter injuriae receptionem et tempus quo morbi symptomata sese manifestant? Si verè admittamus, hoc virus eodem modo ac alia venena agere, non comprehendi potest. Scimus, ad nervos applicationi aliorum venenorum effectum ferè extemporalem succedere. Cur haec dissimilitudo?

Hic veniam peto ut quaestiones sequentes proponam. Cur hoc speciale venenum in quibusdam quam aliis longius consopitur? Agatne solum per nervos, vel in systema per vasa absorbentia, vel per venas fertur? Et cur musculi deglutitionis tantoperè magis quam aliae partes corporis efficiuntur?

Interrogari potest, cur aegrotus solidum tantâ coloris absentia deglutire potest? Sed huic responsum facile daretur, fluidum deglutire majorem contractionem musculorum postulare.

Praecordia plurimum affici motionibus aegroti sane apparebit. Cum satis fortitudinis bibere possidet, os liquido implebit; tunc statim vas manuum dejiciet, et potenter ad regionem cordis manus

applicabit,

applicabit, priusquam deglutiet. Si roges, ubi dolor fiat? invenietur circum cor maximè queri: parum doloris in gulâ, nunquam manus ad eam tollit. Haec tantum observatio est, quam examini eruditorum debito respectu subjicio.

Quoniam omnis humana peritia hactenus frustrata, et quoniam singulae medicinae adhuc tentatae inutiles plerumque inventae sunt, cum haec pestis horrida in corpore semel sese exhibuit, conatus ad morbum antevertendum, ubicunque ratio accessum expectandi, maturè dirigi debent. Hoc maximè desiderandum, nullo modo praeter excisionem, vel destructionem causticis partis vulneratae, efficaciter perfici potest. Ad hanc operationem quamprimum post injuriam recurrendum est, curâ maximâ adhibitâ cultrum ad imum vulneris penetrare, adeo ut portio nulla veneni supersit. Hâc peractâ, vulnus aqua tepida bene est lavandum, et perpetua fluidi detractio per aliquot hebdomadas, imo vel per menses, validis stimulantibus ab eo sustinenda. Quanto citius post infortunium pars vulnerata excinditur, tanto major erat probabilitas ut infelix morbum evitaverit; sed ad hanc operationem refugere ullo tempore oportet, priusquam pestis sese exposuit. It

sentit Dr. Darwin :—“ If the patient was bitten in a part which could be totally cut away, as a finger, even after the Hydrophobia appears, it is probable it might cure it ; as I suspect the cause still remains in the wounded tendon, and not in a diffused infection tainting the blood. Hence there are generally uneasy sensations, as cold or numbness in the old cicatrix, before the Hydrophobia commences.” Paulo post addit :—“ If the diseased tendon could be inflamed without cutting it out, as by cupping or caustic, or blister after cupping, and this in the old wound long since healed, after the Hydrophobia commences, it might prevent the spasms about the throat, as inflaming the teeth by the use of Mercury is of use in some kinds of hemicrania. Put spirit of turpentine on the wound ; wash it well.”* Ita Dr. Cullen :—“ I am, in the first place, firmly persuaded that the most certain means of preventing the consequences of the bite, is to cut out or otherwise destroy the part in which the bite has been made. In this every body agrees ; but with this difference, that some are of opinion that

* Zoonomia, vol. ii, p. 348.

that it can only be effectual when it is done very soon after the wound has been made, and they therefore neglect it when this opportunity is missed. 'There have been, however, no experiments made proper to determine this matter, and there are many considerations which lead me to think, that the poison is not immediately communicated to the system, and therefore that this measure of destroying the part may be practised with advantage many days after the bite has been made.' *

In partibus, quas amputare impossibile est, vel propter vulneris situm vel aegroti timorem, sedulâ ablutione, scarificatoris et cucurbitulae usu, et adurentium applicatione nobis ipsis satisfacere-
remus. Hic necesse est humoris profluvium diu sustinere. Audi quod de hoc Dr. Fothergill dicit:—Mentionem facit de magistro et ancilla ejus, qui eâdem fele rabiosâ morsi sunt. In ancilla, vulnus diu insanabile fuit, omnibus medicamentis repugnans, quae id propositum efficere usurpata erant. Super levem incisuram, quam magister accipit, cicatrix citò obducta fuit. Ille

Hydrophopiâ

* First Lines, vol. iii, p. 388.

Hydrophobiâ afficiebatur, ancilla contagione immunis manebat.

Nonnulli extractionem veneni per os parte vulneratâ commendârunt, et affirmant nihil mali illi, qui sugat, posse oriri, cum saliva ejiciatur et praeterea cum os aquâ eluatur. Hoc feliciter evenisse morsu aliorum animalium veneficorum, ut viperæ, exempla deducuntur. Ita sensit Dr. Berkenhout; ita etiam medicorum Latinorum princeps. “Serpentium quoque morsus non nimium distantem curationem desiderant; quamvis in ea multum antiqui variârunt; adeo ut in singula genera anguium singula medendi genera præciperent; aliique alia. Sed in omnibus eadem maximè proficiunt. Igitur in primis super vulnus id membrum deligandum est; non tamen nimium vehementer, ne torpeat: dein venenum extrahendum est. Id cucurbitula optime facit: neque alienum est, ante scalpello circa vulnus incidere, quo plus vitiiati jam sanguinis extrahatur. Si cucurbitula non est, quod tamen vix incidere potest, tum quodlibet simile vas, quod idem possit: si ne id quidem est, homo adhibendus est, qui vulnus exsugat. Neque Herculis scientiam præcipuam habent, ii qui Psylli nominantur; sed
audaciam

audaciam usu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, ut quaedam etiam venatoria venena, quibus Galli praecipue utuntur, non gustu, sed in vulnere nocent." Paulo post addit, " Ergo quisquis, exemplum Psylli secutus, id vulnus exsuxerit, et ipse tutus erit, et tutum hominem prae-stabit. Illud interea ante debet attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat." * An serpentis analogia prorsus aequa sit, dicere vix ausim.

De sequela pernicioosa, quae in os receptionem rabidi animalis veneni attendat, Hildanus narrationem sequentem tradidit: " In via obviam venit ei (mulieri cuidam), canis rabiosus, qui vestem ejus dentibus arripiens, huc et illuc trahebat, donec tandem veste lacerata, cute tamen mulieris illaesa et intacta, canis aufugit. Illa vero nescia, canem rabiosum fuisse, laceratam vestem filo (prout sarcinatrices factitare solent), dentibus abscisso resarcire coepit. Unde nullum quidem per tres menses sensit dolorem. Postea vero sensim melancholica facta, imaginationibus, visionibus horribilibus et pavoribus agitari coepit, et paulo post,

* De Re Medicinâ, l. v. p. 200.

post, aquam et vinum odisse, et quod pejus est, instar canum latrare, domesticos non agnoscere, dentibus arripere, atque modo hunc, modo illum, mordere tentans: donec tandem in ea miseria animam efflaret.* Narrat Aurelianus, sartricem quandam, cum chlamydem scissam rabidis morsibus, sarciendam sumeret, atque ore stamina componeret, et lingua pannorum saturas contingeret, seu forsam lamberet assuendo, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die venisse in rabiem.

Scribit Areteus, a rabido cane, qui in faciem, dum spiritus adducitur tantummodo inspiraverit, et nullo modo momorderit, in rabiem hominem agi posse. Asserit quoque Aurelianus, quosdam se vidisse, qui in passionem hydrophobicam devenerunt, solius aspirationis odore ex rabido cane abducto.

Joannes Pierius Valenianus refert, eos, qui canem rabie laborantem dissecuerant, ea affectos exhalatione, contagionis vim efficacissimam expertos fuisse.

Exempla duo, quae modo citavi de effectu mortifero

* Obs. Chirurg. cent. i, No. 86.

tifero in os venenum recipiendi, per se, opinor, aliquem deterrebunt, ne hanc methodum sequatur. Si opportunitas occurrat, quâ suctus existimaretur utilis, nonne cucurbitula cuilibet proposito responderet? Celsus ipse, ut supra monstravimus, hoc commendat.*

Celsus balneum frigidum magnopere laudat. “ Miserrimum genus morbi, in quo semel aeger et siti et aquae metu excrucietur. Quo oppressis in angusto spes est. Sed unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam, non ante ei provisam, projicere, et, si natandi scientiam non habet, modo mersum bibere pati, modo attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aquâ satiatur. Sic enim simul et sitis et aquae metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum nervorum distentio absumat. Id ne accidat, a piscina protinus in oleum calidum demittendus est.”

* Berkenhout aliquid simile. “ If no surgeon be present, take a pretty large piece of paper, and twist it gently, so that it may easily be thrust into a narrow-mouthed jar: light the paper well, and having put it into the vessel, fix it tight over the wound, and let it remain in that position till it may be easily taken off. Repeat this three or four times.”

est." * Hoc pro remedio nunc dierum in oblivione jacet : systema roborandi et fibrae musculari vires praebendi, ante symptomatum invasionem nonnihil prosit, sed iis jam existentibus, convulsiones plerumque auget.

Dr. Linke experimento comprobavit, applicationem oxidi arsenici in aqua solutionis, salivae canis rabiosi supra vulnus oblatae, actionem ejus redidisse nullam. Hoc repetitu omnino dignum ; sed corpore humano in ejus applicatione maxima cura adhibenda est. Nec haec sola forma, quâ arsenicum hoc morbo usurpatum fuit. Dr. R. Hamilton exhibitionem ejus internam secundum Fowleri solutionem multùm extollit. Epilepsiae paroxysmos solvit, et forsàn hoc morbo utile esset. Oxidum zinci, et ammoniaretum cupri eâdem ratione laudantur.

Desault opinionem periclitatus est, rabiem vermiculis parvis pependisse, et probabilitate hujus theoriae fretus, hydrargyrum, ut anthelminticum potens, pro optimo remedio in Hydrophobia introduxit. Alii huic faventes, ab analogia, propter auctam glandularum salivae per ejus usum
actionem,

* De Re Medicina, lib. v, c. 27.

actionem, et propter eundem fluxum auctum glandulis salivae in illis rabie laborantibus existentem, utile esse concordant. Creditur, naturam per haec auxilia venenum ejicere conari, et hydrargyri ope (qui his glandulis peculiarem potestatem servare bene notus), satis spei, putatur, successum expectare. Plurimi auctores, nempe Dr. James, Van Swietan, Sauvages, et Dr. de Lassone, huic remedio favent. Cullenus laudat, dicitque utile prae ullis aliis medicamentis experientiam docere. Dr. Houlston commendat antequam symptomata ulla supervenerint. “ Is it just, that because the action of mercurials, applied for three or four days at most, will not cure the disease in its last hasty stage, the same remedy would have been of no avail in the interval between the bite and the attack? During that period, a gradual and sufficient action of mercury might have been excited; whereas when the hydrophobia has appeared, there is scarcely ever time for such effect.”* Quamvis Van Sweitan de hydrargyro bene existimat, tamen saepe parum succedere fatetur. In juvene, qui sub ejus
actione

* Med. Comment. vol. viii.

actione mortuus, exemplum notat. Multos advocatos hydrargyrus habet: exempla tamen ejus inutilitatis multò frequentiora sunt, quam ut in eo satis fideremus. Dr. Darwin systema sub ejus potestate per muriatem corrosivum subjicere commendat.

Nunc dicendum est de venaesectione in hoc morbo. Hoc remedium advocant nonnulli; inter quos summum tenet locum Dr. Shoolbred: ille exempla duo recordat, quae, scalpello ad deliquium animi utendo, exitu felici tractavit. Concedit tamen (ut ab ore nostri Professoris celeberrimi Dr. Gregory audivi), multis aliis exemplis, quibus a se tentata fuit, eundem prosperum effectum omninò defuisse. Dr. Clarke quoque venaesectionis successum testatur: et fateor hoc esse remedium in quo ego ipse antispasmodicis praecipuè opio, vel hydrargyro, conjunctum, maximam fiduciam reponerem. Saepius tamen inefficax inventa fuit. Aquae ammoniae et externa et interna exhibitio, opium dosibus permagnis, moschus, aether sulphuricus, variaque alia antispasmodica sine fructu tentata sunt. Quanquam nobis fertur, nonnullos eorum usu sanatos fuisse,

nunc dierum non multum prosunt. Oleum volatile terebinthinae, formâ enematis inter convulsiones, cum aliis affectionibus spasmodicis, efficax inveniatur, experiri commendatur. Sed nihil:— non solum hoc modo, sed etiam internis dosibus permagnis nullo commodo exhibitum vidi.


Nonnulli per acidum aceticum, alii per haustus liberales olei, ejusque applicationem externam reflecti dicuntur. Sed omninò inutilia haec.

Vix operae est pretium, (nisi fortassis credulitatem naturae humanae exponere), de alexipharmaco Æschrion, Scribonii Largi opiatis celebribus, pulvere jactatâ Palmarii, turpetho minerale Jacobi, Ormskirk et Tonquin remediis, &c. &c. vel mentionem facere. Haec omnia celebritatem amiserunt; inefficacia et inutilia inveniuntur. Pejora quam inutilia sunt; aegrotum in periculosum securitatum consopiunt, et sic evadit criticum momentum, quo forsitan alia potentiora medicamenta valerent. Spem tamen ipsam infundendo paululum fortasse prosint: non omninò igitur contemnenda sunt.

Quod ad illa exempla Hydrophobiae, quae corpore humano, originem ab aliis praeter canis rabidi morsum ducentia, apparent,—causam excitantem

citantem removendo, et malis effectibus jam productis obviam eundo, disciplinam antiphlogisticam rigidè consequendo, varia antispasmodica, ut opium, moschum, aetherem, assafoetidam, &c. exhibendo, et balneo frigido ut tonico generali utendo, plerumque recedunt. Animus mihi pene suaderet, magnum numerum exemplorum quae successu tractata fuisse, post symptomatum verae Hydrophobiae accessionem, scriptoribus dicuntur, ad hanc classem referendum, et ita nomen *specificum* certis remediis quae rabie genuinâ, instrumenta alleviationis temporalis tantum a quibusdam symptomatibus, non aegri restituendi, prae-buisse.

FINIS.



NARROW GUT